33018
Lane Medical Library

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANCISCUS SCHMITZ
GUESTPHALUS.

ADVERSARIIS AMICIS:

M. PIERUNG, med. et chir. Cand.

H. A. WASSERFUHR, med. et chir. Cand.

E. WIEMANN, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0129

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE PIO GRATOQUE ANIMO COLENDO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

DE LITERATURA CONFERAS:

Roesch, die Bleichsucht monographisch dargestellt in den Analekten für chronische Krankheiten. Stuttgardt 839. Band I. S. 156—221.

Naumann, Handbuch der medicinischen Klinik. Band XI. S. 245 u. flgde.

Canstatt, Medicinische Klinik, 2te Auflage. Erlangen 843. Band I. S. 38 u. flgde.

I. HISTORIA MORBI ET DESCRIPTIONIS CONSILIUM.

Historia. Hippocratem jam accuratam chloroseos descriptionem una cum peculiaribus ejus signis fecisse, Bergsonius(1) demonstravit: quae quidem expositio non est, ut vulgo putant, in suppositicio libro *περὶ παρθένων*, sed in Hippocratis aphorism., ubi Bergsonius Dureti interpretationem (p. 200) secutus est, qui locus perspicuam chloroseos descriptionem exhibet. Neque tamen debebat librum, quem (p. 102) suppositicium esse dixit, denuo proferre, unde efficeret, chlorosin floridam Wendtii etiam jam exstare apud Hippocratem. Utramque rem comparanti apertum est, Roeschium (l. c.) ubi solum posteriorem Hippocratis locum sequitur, in eundem errorem incidisse, dicentem, chlorosin apud veteres nihil fuisse nisi signum mensium irregularium, deductam illam ex humoribus a norma recedentibus aut ex morbis genitalium organicis.

---

(1) Ueber den Namen und das Vorkommen der Chlorose beim Hippocrates von Dr. Bergson. In: Busch's neue Zeitschrift für Geburtskunde. Band 15. S. 97 u. flgde.

Danielem Sennertum, quum in libro (1) ubi chlorosin, quae nunc est, tractat, ad Hippocratem chloroseos nomen transferret, nullo addito argumento, errasse, nisi forte χλωράσματος et χλωρώσεως voces commutaverit, Bergsonius auctor est.

Ante Sennertum jam Ballonius ad morbum nostrum perscrutandum in libro „de virginum et mulierum morbis" peculiariter „de foedis virginum coloribus" exposuerat.

Sydenhamus chlorosin a mensium morbo bene discrevit, quorum suppressionem symptoma morbi nostri nominavit.

Omnium autem, quos dixi, gravissimus auctor Ettmuellerus (2), chlorosin, quum morbus innuptarum sit, a mensibus in hoc morbo irregularibus distinctam, horum ipsorum mensium originem esse contendit hisce verbis:

„Chlorosis sive febris alba virginum longe distat a cachexia muliebri: haec enim antecedit aut insequitur mensium suppressionem, chlorosis vero est affectus proprius virginibus et viduis, saltem extra consortium virorum viventibus aut quibus mariti non satisfaciunt. Hoc morbo affectae pallent habentque sub oculis coronam subcoeruleam vel subrubescentem, tristes sunt ect. Mensium suppressio est fere tantum effectus hujus morbi."

Qua sententia relicta, nullo inter chlorosin et mensium

---

(1) Practica medicina Wittenb. 660. lib. IV. de mulierum et infantum morbis p. 214. pars. II. lect. 3. cap. II. de morbo virgineo.

(2) Synopsis universae medicinae practicae, auctoritat. Allen. Amstelodami 730. p. 401 u. 402.

morbum discrimine facto, posteriores illam ex hoc oriundam esse prave statuerunt, quasi Plinium illum ducem sequentes, qui aniliter loquax mirabilissimas quasque res de sanguinis menstrualis veneno narrat. In quorum numerum imprimis Haasius (1) referendus est, qui chlorosin pro specie amenorrhoeae habet.

Alii conditiones acutas cum chlorosi commutarunt. Hoc fecerunt Wendtius (2), qui de febri alba densa sive chlorosi hypersthenica agit; Berndtius (3) in libro de inflammationibus, de endocarditide chlorotica; Mason Goodus (4), qui chlorosin atonicam et entonicam discernit. Atque Autenriethius chlorosin scabiosam, morbum secundarium ex scabie inveterata et neglecta novit, quae chlorosis inter psoricas dyscrasias referenda erat.

Canstattius (l. c.) quum chlorosin speciem esse dicat anaemiae, se tanquam excusans hac introductione utitur: „Wir hatten die Wahl, die Chlorose unter die Dyskrasien einzureihen, oder diese Krankheit sogleich hier mit der Anaemie abzuhandeln.“ Attamen symptomatum varietatibus ablegatis solam chlorosin torpidam et erethisticam inducit.

Naumannus (5) chlorosin ab anaemia discernit, quum

---

(1) Ej. chronische Krankheiten. 2te Auflage. Leipzig 830. Band I. S. 556.

(2) Richter's Magazin. Bd. 45. Hft. 3.

(3) Band II. Thl. I. p. 34—38.

(4) Ej. das Stud. überhaupt. Band IV. Aus dem Englischen.

(5) Cf. Pathogenie. Berlin 840. Artkl. Anaemie.

nec illi sanguinis immunitionem concedit sed potius hydropis conditionem supponit.

Roeschius (l. c.) qui librum copiosum et elegantem scripsit, dum species ac varietates chloroseos enumerat, supra commemoratas de novo profert, ne verbo quidem opportunitates earum excusans. Attamen chlorosin morbum sui generis statuit, illum virginum, quem esse docet:

a) morbum vitae formativae, nam vis formativa et vegetativa nutritionis neque minus vivae materiae commutationis sit diminuta;

b) imminutam et turbatam vim vegetativam oriri ex illius origine i. e. e sanguine ipso, uti color pallidus et exploratio sanguinis et exitus infelix demonstret.

Librum Foxii „Beobachtungen über die mit dem Namen Bleichsucht bezeichneten Störungen der gesammten Gesundheit des Weibes und Beweis, dass deren Ursache vom Geschlecht durchaus unabhängig ist; aus dem Englischen von Gross Leipzig 841" Eisenmannus (1) satis judicavit.

Consilium scriptionis. Definitionem chloroseos statim ab initio non proponemus, ne disquisitio impediatur, quae quum absoluta et perfecta, antequam rem ipsam satis luculenter disquisiveris, nullo pacto esse possit, dijudicare magis studebimus, unde naturam chloroseos debeamus colligere. Qua re primum symptomata, decursum, exitum morbi describemus, deinde caussas et statum endemicum epidemicumque cognoscemus, ex quibus rebus denique summam momentorum pathogenicorum efficiemus. Atque in aetiologia et diagnosi, morbum

(1) Schmidt's Jahrbücher Jahrgang 843. Heft 3. p. 348.

sui generis esse chlorosin, demonstrabitur: unde quidem fiet, ut sub articulo „symptomata“ multa desideres, quae ibidem solent inveniri, ut chlorosin sthenicam, hypersthenicam, dynamicam, plethoricam, pituitosam ect., chlorosin virorum, infantum ect. Talia sicut omnes aliorum opiniones tum in historia morbi memorata sunt, tum in diagnosi prorsus absolventur.

II. SYMPTOMATOLOGIA.

Symptomata. Color cutis pallidus, saepe e flavo viridescens, inter symptomata primum in oculos incurrit. Rubor genarum labiorumque evanuit, quibus labiis tantum manet rubor pallore mixtus. Conjunctum est frigus artuum, cadaveribus proprium, quod non solum observando ab aliis cognoscitur, sed ab aegroto ipso semper frigente intus sentitur. Turgor cutis abiit, facies totius corporis tumida, saepe oedematosa. Idem quadrat in musculos, qui pallidi, molles flaccidique sunt: quam debilitatem motus consueti indicant. Chlorotici tum receptivitate laborant satis magna, adjuncta celeri nec tamen durante energiae experti reactione; tum utraque omnino indigent premunturque gravi ad omnes res inertia. Somnus, ad quem valde inclinant, levamen iis non praebet: conjunctae sunt alienatae sensuum functiones, dolor capitis, vertigo, affectiones et desideria maxime varia, magna animi irritabilitas, oblivio magna, inertia cogitandi, timor mortis, saepius etiam omnium rerum negligentia, animi apathia et resignatio: quod est diagnosticum momentum, ne cum phthisi

morbus confundatur. Verum enim vero varii motus animi facere interdum possunt, ut chlorotici nervorum affectione modo excitati lassitudinem et inertiam minus sentiant et in praesenti novas vires videantur recipere: cujus rei exempla praebent saltantium commercia. Respiratio non celer neque superficialis, sed alta: in locis clausis, hominum multitudine impletis, angorem pectori infestum sentiunt, qui usque ad anxietatem augetur: appetitus ciborum parvus, alvus irregularis, modo obstructiones alvi, modo diarrhoea mucosa. Digestio perturbata, organa chylopoëtica omnibus rebus gravantur: cibi pingues, acidi, inflantes ructum et stomachi ardorem efficiunt, quamquam saepius fames quasi canina rerum vetitarum neque esculentarum exsistit. Urina chlorotica aut viridis aut coloris expers aquosa et si aqua diminuta, est urina concentrata, acidae seu alcalinae reactionis. Circuitus sanguinis acceleratus, energiae expers: pulsus parvus ac facile comprimendus, celer, immo celerrimus interdum fit: palpitationes cordis, arteriarum strepitus. Sanguis a chloroticis inter menses profluens pallidus est et a sanguine menstruo normali sicut chloroticorum sanguis in universum a sanorum sanguine discrepat. P. J. Frankius casus observavit, in quibus, quamvis menses fluerent, chlorosis tamen aderat. Coëundi appetitus diminutus.

Symptomatum varietates. Duae sunt symptomatum varietates: irritabilitas adaucta et deminuta, de reliquis enim jam supra notandum est.

a) Irritabilitas adaucta. Irritamenta levissima magnam irritationem in toto nervorum vasorumque systemate efficiunt. Pulsus fit frequentissimus; color pallidus subrubescit;

cutis calor augetur, minima motio cordis palpitationem excitat, pectoris angorem usque ad dyspnoeam ipsam saepe progredientem. Apparent saepe pleuritidis symptomata, punctiones fugaces, tussis; dolor capitis frequentissimus: comitatur sensibilissimum nervorum systema; aegroti sunt anxii, tenuissima re tacti lacrimant, solitudinem petunt.

b) Irritabilitas deminuta. Aegroti ii sunt, qui antea scrophulosi laborarunt, vel in quorum patria morbus noster endemicus est. Superficies corporis pallida, tumida; aegroti frigoris maxime sensitivi, languidi, somnolenti, a capite semper gravi dolor alienus est. Loco irritabilitatis negligentia rerum et apathia suppetit: dyspnoea et tussis abest. Sed motus cordis palpitationem et deliquium animi efficiunt. Abest omnis febris, ciborum appetitus: plerumque obstructio alvi praevalet, accedit torpor omnium vitae functionum; haud rarae lienis affectiones. Menses deficiunt aut mucus ex genitalibus profluit, quod profluvium facile evadit perenne.

III. TEMPUS QUO DURAT MORBUS, DECURSUS, EXITUS.

Morbi quippe qui chronicus sit, decursus irregularis: aut menses durat aut annos adeo plures, ubi aut in meliorem aut etiam deteriorem conditionem vertit.

Exitus sunt tres:

1) Refectio. Redeunt sensim color faciei, ciborum appetitus, corporis calor. Aegroti, qui antea languidi, vigore et viribus destituti incedebant solivagi, pedetentim exhilarati reflorescunt: sanguinis qualitas melioratur, donec sanum ipsum

aequat. Menses ad normam suam recedunt; primum mucus ex pallore rubescens, mox sanguis mensium merus profluit.

2) Morbi secundarii. Quos quidem, quum copiosius in pathogenia de iis exponere propositum sit, hoc loco solum enumerabimus.

Sunt quidem:

a) Mali nervorum affectus. Inter quos referenda est tota cohors hystericorum symptomatum atque dicunt morbum posse in melancholiam transire et in fatuitatem ipsam. Sunt etiam, qui eum in nymphomaniam vertisse se di ant observasse: quae quidem nymphomania non inde, quod coëundi cupiditati non sit satisfactum, sed ex communi malo primario repetenda est.

b) Cordis morbi. Functio cordis justo intensior, energia circuitus sanguinis deficiente, haud raro ad dilatationem transit et ad aneurysmata passiva.

c) Pulmonum morbi. Inter hos phthisis tuberculosa, praecipue in aegrotis irritabilitate utentibus aliquantum aucta.

d) Lienis morbi et hydrops. Atrophia et induratio lienis; hydrops atonicus observatur, ubi torpor est.

3) Mors. Exitum morbi in phthisin aut in hydropem aut virium defectus cum hoc exitu conjunctos, ut deliquium animi et diarrhoeam mors sequitur.

Quae ex obductione cadaveris resultent. Mortem chloroticorum non sequi nisi morbus in mala sua secundaria transierit eamque ex his malis oriri diximus. In his igitur versatur praecipue anatomia pathologica. In universum autem inveniuntur haec: musculi molles et pallidi et macri: exigua adipis quantitas fluida serosa: cor atrophicum, molle;

cerebrum, pulmones, hepar renesque pallida, parum solida. Dignissimus autem, qui observetur, sanguis est. Ejus quum quantitas eadem manserit, multitudo tamen corpusculorum sanguinis imminuta est.

Foedisch, Lecanu, Jennings, Bird, Andral, Gavarret et Simon, qui sanguinem chemice explorarunt, albuminis et salium rationem non esse mutatam invenerunt.

Foedisch:

Cruor.	Serum.	Fibrina.	Aqua.	Ferrum.
91,41.	93,61.	6,40.	806,28.	3,30.
85,94.	92,21.	6,31.	810,75.	5,01.

Lecanu:

Corpuscula sanguinis.	Aqua.	Subst. extract. ping.
55,15.	862,40.	82,48.

Jennings:

Aqua	Pigmentum
871—852. (vulgo 750.)	48,7—52. (vulgo 133.)

Quibuscum fere consentiunt Andral, Gavarret et Simon. Corpuscula sanguinis et particulae solidiores ubique imminuta erant: item pondus sanguinis specificum.

(Conferas: Fr. Simon's Handbuch der angewandten medicinischen Chemie. Th. II. S. 206. u. Canstatt's Jahresbericht für 1841. Simon's chemischer Bericht S. 34. H. Nasse in R. Wagner's Handwörterbuch der Physiologie I. S. 208.)

IV. AETIOLOGIA.

1) Dispositiones morbi. De his primum dicendum

erit, non magis propter earum multitudinem quam propterea, quod in morbis chronicis caussae occasionales, ut quae semper digito monstrari non possint, magis recedunt. Ac complectuntur:

a) Constitutionem. Tenera imprimis constitutio et infirma, haereditas parentum imbecillorum corruptorumque, chlorosi favet. Puellae tenero praeditae corpore, cute pellucida, propensione tum erethistico-scrophulosa, tum torpida hoc morbo plerumque implicantur. Quapropter flavis saepius quam fuscis puellis id accidere Roeschius (l. c.) contendit. Dispositio constitutionalis accedente tuberculosa amplificatur. Quamquam scrophulosis et tubercula non tam inter chloroseos caussas referenda, quam juxta eam eodem gradu ponenda sunt.

b) Sexum et evolutionis periodum. Quod quidem in libris suis de virili chlorosi sermonem faciunt, aut parum recte morbum intellexerunt aut, id quod veri est similius, illudere volunt educationem puerorum quorundam molliorem. Sexus muliebris cur imprimis ad hunc morbum inclinet, post pathologiam expositam dicetur. Puellas ad pubertatem progredientes imprimis chlorosi aptas esse videmus; neque tamen pubertas, processus physiologicus morbi nostri caussa esse potest. Sed ubi vires nimium crescentium exhaustae sunt, ex hac re cum pubertatis processu conjuncta chlorosis non raro originem ducit.

Quod ad aetatem attinet, juniores saepius inde a pubertatis initio usque ad annum vicesimum morbo obnoxias videmus.

c) Momenta debilitantia. Primo loco sunt psychica, in quibus aegritudo lenta, amores infausti, desideria nescio

quae, lectiones librorum futilium, familiaritas hominum nequam, vis imaginandi nimis aucta, qua pubertas praecipitatur, habenda sunt. Deinde quod ad corpus spectat mastupratio primum dicenda est, quae opinione saepius regnat et psychica momenta, quae dixi, adauget. Neque praetereundum est studium puellarum quarundum nobilium, quum creta et aceto vescentes colorem exhilarant; quod assecutae chlorosin simul in semet susceperunt.

d) **Educatio** (1), **vitae ordo, vestimenta.** Qua ratione hodie filia dives educatur? Decem et plures annos instituuntur, quum totos dies in scholis lusitantes magistros suscipiunt tempusque terunt levibus negotiis et a cogitandi studio nimium alienis, ut literas linendo, acu pingendo, nendo et quae sunt id genus. Ambulationes breves, lentae, nimio venustatis studio impeditae, sapienti matre comitante, ad scholarum umbras et pulveres depellendos nequaquam sufficiunt: quin singularum matronarum scholae privatae et monacharum claustra, ut quae coelibes educationis negotiis rite perfungi nequeant (2, 3). Domi inter nendum, acu pingendae filiae haerent sellis suis quasi alligatae atque affixae. Alimenta nutrientia crescentibus accommodata negliguntur: coffea, thea, placentis vescuntur: horis ad somnum capiendum aptissimis vita sibi fruendum esse ratae vigilant amoenitatesque sectan-

(1) Cf. Heidenreich über das Verkehrte in der Erziehung und Bildung der weiblichen Jugend. Anspach. 843. 2te mit Nachträgen vermehrte Auflage.

(2) Cf. Jahn: Deutsches Volksthum. Leipzig 817. S. 199.

(3) Julchen Grünthal, eine Pensionsgeschichte. 798.

tur. Vestimentis denique inclusas arctissimis, pectore praecipue compresso, quid est, quod chlorosi filias laborare mireris? Viri adolescentes quamvis etiam suis obnoxii sint miseriis et aerumnis, in palaestris ludisque variis vires suas fovent augentque; a quibus rebus mores hodierni puellas longe iam pridem repulerunt, non quia honestati metuant, sed quod puellas adolescentes in matronarum numerum referre gestiant, vetulas in juniorum locum substituant. Meliore aliquantum conditione pauperiorum liberi sunt, quibus, quanquam in casis et subterraneis habitare et tenui cibo vesci coguntur (id quod laetae certe sanitati parum convenit), chloroseos tamen pericula magis absunt. Laetum juventutis animum et hilaritatem callidae matres nondum iis abstulerunt. In fabricis vero pensum quotidie persolventes, haud raro scrophuloso-chlorotica cachexia obstricti sunt. Quae omnia quum in urbanas quam in rusticas puellas melius quadrant, chlorosin in urbe frequentiorem esse quam ruri apparet.

e) Aër (clima) et indoles nationales. Chlorosis in regionibus fere septentrionalibus zonaque temparata solum invenitur. Atque apud Batavos endemicam esse dicunt, epidemicam, quae sententia est Heyfelderi, apud Hohenzolleros Sigmaringes. Judaeorum puellas imprimis ad hunc morbum inclinare Hauffius affirmat.

f) Anni tempora et tempestas. Vere et auctumno posteriori, tempestate praecipue madida frigida, chlorosin maxime existere et depulsam redire autumant. Désormeaux aëris constitutionem gastro-epidemicam caussam ad chlorosin praecipue disponentem accusat.

2) Caussae occasionales. Quod si unum alterumve

momentorum, quae dixi, chlorosi aptos reddit homines, levis plerumque caussa e. c. victus negligentia, contentio vehementior, refrigeratio aestusve, animi perturbatio ect., sufficit, ut morbus incipiat. Quae caussae quum per se satis leves sint ac parvae, plerumque propter momenta dispositionis antecedentia negliguntur.

IV. PATHOGENIA.

Jam quum de symptomatis, decursu exituque chloroseos et de caussis efficientibus expositum sit, pathogenia in has potissimum duas quaestiones inquirit: primum qua ratione singulae caussae corpus male afficiant, deinde, quaenam his examinatis, in universum de natura ac sede morbi nostri explorata habeamus.

a) Quaestio prima. Responsio partes complectitur has cum aetiologia conjunctas:

1) Medici antiquioris aetatis (Sennertus l. c.) chlorosin febrim amatoriam appellaverunt, quod nomen ad indagandam morbi naturam viam monstrare optime potuisset, nisi confusa amenorrhoëa false chlorosin hujus morbi secundariam habuissent, aut, quod postea accidit, exploratione sanguinis, quo ferrum aberat, chemica seducti, ferro suppeditato totam rem se absolvisse putassent. Atque hoc quidem nomine morbus significabatur, ductus ille ex amoribus infaustis, qui in passiones deprimentes referendi sunt. Quae passiones quid generatim efficiunt? Simul et primarie corripiunt systema gangliosum et nervos motorios, spasmos, resolutiones, assimilationis, nutritionis, secretionis excretionisque perturbationes

eliciunt: quo fit, ut singulas corporis partes ad functiones vitae vitiosissimas perducant. Ante omnia thoracis ganglia et nervi respirationi inservientes afficiuntur et caussis durantibus perennem perturbationem organorum pertinentium efficiunt. Atque quae partes corporis afficiantur modo affectionis ratio, modo irritabilitas organorum, quum evolvuntur, thoracis pubertatis tempore aucta, in caussa est.

2) Inter chloroseos caussas evolutio puellae ad pubertatem physiologica relata est. Quo tempore totum corpus, singulis partibus neglectis, in altitudinem crescit (ubi sententia physiologica, thoracem et mammas nisi evolutis genitalibus non evolvi regnat) thorax et quae continet organa, quae prius evolvi diximus, ad evolutionis finem perducta non sunt: ita ut sanguinis consumptio sanguificationem longe excedat et necessario status hydropicus sanguinis existat. Quum ex his rebus tum ex iis, quas sub articulo educationis et vitae ordinis dicemus, et ex tota pathogenia cum physiologia mulieris inclinant ad morbos ex infirmitate ortos et cachexias, comparata, efficitur, chlorosin morbum sexus feminini proprium et qui ad evolutionem pertinent, esse, tempore pubertatis vel jam incipientis vel demum coeptae vigentem.

3) Inter momenta corpus debilitantia primum locum tenet mastupratio. Quae quum efficit systematis nervorum irritationem, in muliere inprimis ad gangliorum systema spectantem, facile symptomata procreat, quas passionum deprimentium esse scimus, praecipue abuliam quandam ab omni spontanea motione deterrentem et peculiare illud taedium. Quod ubi factum est, debilitas nervorum, macies universalis, phthisis pulmonum, hydrops sequuntur: qui exitus, si quae modo ex-

posuimus et sub articulo exitus morbi diximus, respexeris, jam primarii mastuprationis in organa respiratoria effectus habendi sunt. Cretae acetique usus, de quo diximus immoderatus nervos gastricos et systema gangliosum male afficiens perturbationes inde ortas excitat.

4) Quae de noxio constitutionis debilis haereditate acceptae effectu dicenda sunt, fere ad ea, quae de evolutione exposita sunt, redeunt. Corpus eodem modo se habet, ac si celerius creverit acceduntque incommoda omnia ibi exposita, cadentia in evolutionem quam singulorum tum aetate certe pubertatis thoracis organorum. Atque intelligitur, constitutionem tuberculosam ubi conjuncta est, in organis respirationis regnantem facere, ut aegrotorum exitium praecipitetur (1).

5) Magni momenti est tum vita sessilis, quam diximus et vestimenta ditiorum ad corpus crescens parum accommodata tum domicilia coeca nutrimentaque tenuia pauperiorum, quum illa ipsi respirandi negotio recta via obsint et impedimenta sanguificationi et nutritioni inferant, haec quasi perambages idem illud efficiant. (In vita sessili res alienae e sanguine aliquanto lentius secernuntur.) Quae incommoda aetate evolutionis magis etiam nocere apparet.

6) De anni temporibus animadvertendum est, frigore madido regnante vere imprimis et auctumno, turgorem vitalem infirmari atque incommoda effici, quae respirationi officiunt; impediunt enim, quominus respiratio eas, quas debet res secernat: eae igitur secretiones retentae organa pertinentia male afficiunt. Quod magis etiam, quia semper fit, in eas potissi-

---

(1) Cf. Scharlau, über die knotige Lungenschwindsucht.

mum regiones quadrat, ubi chlorosis aut frequentior est aut epidemica c. c. in regionem septentrionalem. Omnino caussae quas diximus, morbos organorum respirationis procreant. Chlorosin, quam apud Hohenzolleros epidemicam grassari ferunt, Heyfelderus negotiis et vitae ordini, quem puellae eorum sequantur, tribuit. Sequitur, momenta aetiologica ad unum omnia hoc efficere, ut quum processum respirationis tum sanguificationem nutritionemque aut mediate aut immediate impediant.

b) Questio altera. De qua, quum historia morbi jam plura commonefecerit antequam plane absolvamus, pauca hoc loco licet adjungere.

Frid. Hoffmannus (1) caussam morbi ponit: „in nimia sanguinis impuri et humorum discidorum ac minus spirituosorum abundantia ob naturalem tonum, vigorem et robur partium solidarum maximeque viscerum chylificatione, sanguificatione et depuratione inservientium valde labefactum in corpore collecta."

Boerhavius (2) chloroseos originem repetit ab abundante sanguinis sero.

Recentiorum medicorum hos laudo: Brandisius (3), Jahnius (4), et F. B. Osianderus (5) primam morbi caussam in infirmitate systematis lymphatici collocant, quae

---

(1) Med. ration. systema tom. IV. par. 4. cap. XIII.

(2) De morbis nervorum tom. I. p. 158.

(3) Ej. Erfahrungen über die Wirkung des Eisens. Han. 803.

(4) Ej. Klinik der chronischen Krankheiten Erfurt 815—821.

(5) Ej. Entwickelungskrankheiten. Tübingen 1820.

chylificationem et sanguificationem turbet: qua re fiat, ut quantitas justo minor ferri oxydati in corpus recipiatur.

Joergius (1) primariam caussam a vitio quodam nutritionis ducit, quod vitium oxydatio sanguinis imminuta et functio uteri turbata sequatur.

E. a Sieboldius (2) chlorosin morbum reproductionis esse putat, ortum ex infirmitate totius organismi et inde enata irritabilitate uteri suppressa.

Foxius, in historiae §. 2. memoratus morbum hepatis habet affectionem.

Carus (3) naturam morbi in perturbationibus nisus formationis ponit, exortis ex sanguificatione vitiosa, quae in tempus incipientis aut jam evolutae pubertatis cadunt et pro qualitate muliebris corporis propria chlorosin adducunt.

Quibus rebus expositis ad quaestionem alteram redeamus. Ac primum sententiae quaedam physiologicae nimirum de respiratione, caloris formatione, sanguificatione et nutritione proponendae sunt, quandoquidem symptomata chloroseos nihil sunt nisi harum rerum abnormitates. Respiratio processus est, quo sanguis in pulmones infusus in rubrum arteriosumque mutatur. Atque perficitur et dilatatione et contractione cavi thoracis, qui processus contractione et expansione thoracis per musculos intercostales, quorum nervi ex medulla spinali proficiscuntur et adscensu descensuque diaphragmatis. quod proprios suos habet nervos, fiunt. Quas partes respirationis nervus

(1) Ej. Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipzig 831.
(2) Ej. Frauenzimmerkrankheiten B. 1. §. 426. Frankf. 821.
(3) Ej. Gynaecologie B. I. §. 206.

vagus agat, Brachetius (1), Legallois duce, periculis memorabilibus demonstravit. Docet enim, praecisionem nervi vagi musculos laryngis et epiglottidis resolvere; epiglottidem non amplius erigi, itaque tracheam claudi; sed, ubi aëris ad tracheam aditus pateat, animalia denuo respirare. Quod si processus mechanicus turbatur, etiam chemicus erit imperfectus: is Eisenmanno auctore efficit, ut aër spiritu ductus sero conjungitur, qui aër in vasis capillaribus dissolutus oxygenium suum (2) cum carbonio ex sanguine secreto conjungat: tum acidum carbonicum conjungi cum cruore, nitrogenium plerumque separari, sed resorberi a sanguine, ut deinde a pulmonibus secernatur tanquam acidum carbonicum, in qua re per cyani et ammoniate formationem pars exigua aëris consumatur, ad differentiam inter aërem ductum et redditum componendam. Neque alienum ab hoc loco ducimus, observare, formationem acidi carbonici imminui post affectum passionum deprimentium, quum uberior sit, animo exhilarato; nam, ubi prius accidit, Eisenmanno auctore catena organica galvanica resoluta est, ubi posterius, intensa.

Caloris formatio cum respiratione intime conjuncta est: quamquam, qui pulmones quasi pro foco ejus accipiunt, falluntur, propterea quod pulmones ad sanguinem refrigerandum aptiores sunt. Deinde caloris formatio arcte conjuncta est cum acidi carbonici formatione. Sicubi acidum carbonicum formatum conjunctionem cum positivis partibus catenae galva-

---

(1) Recherches experimentales sur les fonctions nerveux-ganglionaires. Paris et Montpellier. 831.

(2) Ej. Vegetative Krankheiten S. 35.

nicae init, (quae partes secundum Eisenmannum corpuscula sunt sanguinis ferrum continentia, dum globuli medullares negativi sunt et serum id est, quod chemici nostri „Ladungsflüssigkeit" nominant) fit calor et sentitur, ubi conductores minus apti circumdati sunt. Sanguificatio ad processus dictos proxime accedit. Prima sanguificationis conditio digestio est. Fames homines et bestias ad nutrimenta sumenda compellit. Famem ut sentiamus, nervus vagus efficit: idem succi gastrici secretioni praeest. — Concoctione non turbata, organismus ex nutrimentis consumtis eas substantias sibi format, quae ad nutritionem necessariae sunt. Exemplum sit ovum. Quod si comburitur non tantum calcariae phosphoricae recipimus, quantum si pullum neonatum comburimus. In Wallisia australi, quamvis nec calcaria carbonica sit, nec fons bicarbonicam continens, organismos tamen hominum et bestiarum plantarumque his rebus carere negant. Idem in ferrum quadrat; invenitur in omnibus organismi partibus nec tamen ubique in nutrimentis, ita ut possis conjicere, organismum sibi ferrum, cujus indigeat, formare ex elementis organicis O. H. N. C.; neque in elementa ferrum esse referendum. Igitur si quae caussae respirationem sive mechanice, sive, quod saepius fit, dynamice turbant, intelligitur, symptomata chloroseos, posita potissimum in imminuta caloris et alienata sanguinis formatione, exoriri, ubi caussae illae diutius durare incipiunt. Itaque naturam chloroseos ex respiratione impedita repetere debemus, et quidem plerumque ex caussis dynamicis.

V. DIAGNOSIS.

Symptomatis chloroseos supra expositis, diagnosis hujus morbi a dubitationibus fere omnibus vindicatur, nec quisquam nisi symptomatis singulis modum excedentibus adduci potest, ut alios morbos confundat, nimirum:

1) Icterum ob cachecticum cutis colorem; desunt tamen ictero symptomata vasorum systematis, conjunctiva oculi fit fusca, tum faeces morbi naturam ostendunt, nec minus irritabilitas vitiosa hypochondrii dextri.

2) Tuberculosin et carcinoma internum ob colorem pallidum. Atque a tuberculosi discernitur chlorosis eo momento, quod jam supra commemoratum est, diagnostico. Accedit, quod tubercula et carcinoma, ut vitia topica, mox in lucem prodeunt.

3) Morbos lienis. Signa localia, ut musculorum debilitas, quae abest, et calor cutis magis viridescens, morbum, qui sit, indicant.

4) Perturbationes functionum quae ad genitalia spectant. Semper et ubique, ubi cum chlorosi conjunctae sunt, ex iis, quae antea exposita sunt, intelligitur, ex eadem caussa ac chlorosin profectas esse. Nec menses irregulares magis morbus genitalium est, quam chlorosis morbus cutaneus.

5) Stadium febris intermittentis tertium (1).

Anamnesis atque tumor lienis diagnosin certiorem reddunt.

---

(1) Cf. Neumann, von den Krankheiten des Menschen. 1. Band. S. 1—56.

6) Oedema et hydropem. Dum chlorosis per se sola adest oedema pedum modo vespere apparet, matutino tempore contra palpebrae et facies tota tument.

7) Morbos cordis organicos. In quibus morbis vitium locale per aliquod tempus durat, dum color faciei cachecticus apparet. Sed in chlorosi signa ex circuitu sanguinis serius accedunt et saepe remittuntur. In cordis morbis color faciei est lividus (praecipue circa labia, statui morbi coerulei similis) dum in chlorosi color pallidus est.

8) Anaemium. In qua est imminutio sanguinis orta ex humoribus antea large amissis: accedit postea status hydropicus.

9) Denique color cutis cachecticus in caussa fuit, ut chlorosis cum dyscrasiis confunderent, quae species chlorosis habentur (vid. histor.). Etiam conditiones inflammatoriae cum morbo nostro commutabantur. Quorum symptomata et caussas disponentes decursumque si contemplamur, tales opiniones falsas esse facile apparet.

VI. PROGNOSIS.

1) Quando natura chlorosi mederi potest? Ex diagnosi morbi apparet, naturam chlorosi, quoad per se sola existit, posse mederi. Quod quomodo fiat „exitus“ demonstraverunt. Atque conditiones, quibus natura medetur, inde sunt repetendae, primo si caussae omnino desinunt, secundo, si morbus nondum nimis invaluit: neque enim debet jam instare morbus secundarius: tertio, si vires nondum sunt nimis exhaustae. Nam si res ita se habet, natura, ut semper ea, quae amissa

sunt, mox resarcire et commercium inter sanguinem et nervorum medullam turbatum in integrum restituere studet. Sed ubi caussae, nempe propensiones constitutionales, morbus jam longe progressus, vires exhaustae durant, vis vitalis per se infirmior est, quam ut statum priorem sanum reducat, et morbus, nulla cura prohibitus, ad exitum pergit satis funestum.

2) Hoc igitur, si fit, quid medicus morbo potest officere? Quum morbus sane possit sanari neque nisi neglectus et in morbos secundarios transiens fiat aut gravis aut insanabilis, intelligitur, caussas removentem vitae ordine utentem et remedia evolutionem pathogeneticam limitantia adhibentem multum proficere posse, postquam natura ipsa suppetere jam dudum desiit.

VII. CURAE DISPOSITIO.

Quae quum prophylaxin et therapiam complectatur; therapia demum, postquam morbus exstitit, locum suum habet.

1) Prophylaxis. Quod si in puellis junioribus unam alteramque caussarum expositarum deprehendimus, medici est, ut eam tollat. Quid faciendum sit, plerumque facile per se apparet, quam ut aptissime quisque incommoda, quae jam adsunt removet, ita optime officio suo fungatur. Quare nominatim enumerandae sunt solum propensiones constitutionales, et qui cum his conjuncti sunt, morbi evolutionis. Atque faciendum est, ut aegrotus eam aetatem superet, qua, aliis etiam caussis accedentibus, morbus facillime solet existere. Cibus facilis ad digerendum, nutricus, minime irritans, ambulationes per campum apertum instituendae, consuetudo exhilarans, re-

frigerationis fuga, menses in ipso lecto diligenter manendi, balnea tepida, evitatio omnium rerum phantasiam nervosque irritantium; haec omnia saepenumero plus valent, quam medicamina ipsa.

2) Therapia.

a) Expositio de medicamentis. In omnibus libris de chlorosi sananda, ferrum esse remedium specificum contra hunc morbum et omnium ejus praeparatorum probari utilitatem legimus. Nullum „recipe" antichloroticum sine ferro est et Naumannus (l. c.) qui ferrum probaret remedium esse antichloroticum, dictum illud adhibuit: „Qui nescit martem, nescit artem." Ratiocinantur hoc modo: Ferrum in sanguine chloroticorum imminutum est; atqui sanguis organis digestionis ferrum, quod corpori infunditur, recipit: ergo ferrum specificum est in hoc morbo. Quae conclusio refelli potest. In sanguine enim chloroticorum quamvis sanguis imminutus sit, tamen, quum supra expositum sit, primum organismum ex nutrimentis necessariam ferri quantitatem sibi ipsum formare, deinde chlorosi perturbationes, quae ipsam sanguificationem impediant, subesse; denique ferrum, digestione perturbata, ventriculo plus minusve obesse, apparet, methodum, qua ferro adhibito sanguinem in integrum restituere volunt, vel maxime esse irrationalem nec specifici nomen effici nisi ex conclusione claudicanti (1). Accedit, quod ferrum, sicut quodvis aliud metallum, quum alienum sit, in corpore non relinquitur, sed per urinam et faeces ex-

(1) Schulzio auctore (Allgemeine Pathologie S. 128) ferrum sanguinis pigmentum non ideo afficit, quod ferri quantitas augetur, sed chlorosis removetur eo, quod tota sanguificatio ipsa per digestionem melioratur.

cernitur. Contraindicationem in chloroseos cum tuberculosi complicatione, irritabilitate vasorum systematis praeterimus. Id medici multi quum probe intellexissent ferrum in his et similibus casibus esse specificum posse negare satius habent. De fontibus ferrum continentibus quum idem dicendum est, tum plus etiam incommodi afferunt, quod aquam immodice potando organa chylopoëtica, per se jam debilia, magis etiam gravantur.

Ubi aquarum usus saluber fuit, non magis aquae ipsae quam loci mutatio, distractio et exhilaratio, cum aquarum usu conjuncta, salutem afferebant.

Emmenagoga et pellentia, quae vocantur, quum superflua sint et nociva, omittimus. — Alia medicamenta, ferro minus nota. sunt chininum, radix squillae maritimae, et opium et sicut cardiacum mentha piperita. Indicationibus enim pathogeneticis respondent. Chininum nec organa chylopoëtica male afficit sicut cortex chinae et utilitates corticis praebet omnes. Squilla imprimis antihydropici vicem gerit et probata est effectu, quem in hydrope, ex neglecta febri intermittente exorto, habet. In universum status affinis, quem febris intermittens neglecta et inveterata ostendit, medicamenta dicta specifica esse comprobavit. (Cf. Neumann. l. c.)

b) De cura rite instituenda. Indicatio prima, in caussis removendis posita, regimen continet. Ubi quanto momento sit aetiologia, inprimis perspicitur. Respiciendae sunt praecipue conditiones externae, sub quibus aegroti vivunt, et removenda omnia, quae morbum aut procreare aut alere possunt. Quodsi endemicae caussae obtinent, domicilii variatio pernecessaria est: aegrotis, si fieri potest, regiones aridae, ca-

lidaeque petendae sunt: tempestate madida frigida vestimentis opus est magis foventibus. Ubi affectus animum fatigantes aegritudo ex amoribus orta et quae sunt ejusmodi in caussa erant, distractio, itinera, consuetudo exhilarans, diligens familiarium cura, maximam utilitatem praebent. et qui locum Hippocraticum *περὶ παρθένων*: „Ego vero virgines jubeo, quum hujusmodi patiuntur, quam citissime viris cohabitare, si enim conceperint, sanae evadunt:" huc pertinere autumant falluntur: nam haec est ipsa caussa mali, quod incassum amant.

De constitutione debili, quatenus sit momentum disponens quum in prophylaxi expositum est, plura jam non addemus.

Ubi mastupratio subest, studendum, ut efficienda medulla spinali irritabilitas aucta cum debilitate conjuncta ad normam reducatur. Optime adhibentur aquae ex alto inspersae: simul detur s e c a l e c o r n u t u m cum o p i o et cibus nutriens, parum irritans. Atque aegroti honeste edocendi sunt quanta hujus flagitii damna existant, custode addito.

In Chlorosi ex pravo venustatis studio orta, ut si creta vescuntur est, etiam diligenter admonendi sunt aegroti, quanquam, qua sunt mulieres vanitate, saepius argumenta vel gravissima eluduntur. Idem de vestimentis thoracem nimis adstringentibus dicendum est.

Ubi perversa educatio in caussa est, medici negotium etiam difficilius. Qua enim ratione matrum opiniones reformabit? Quae quum plerumque medici adhortationes veras esse bonasque sentiant, non tamen obediunt moribusque, qui obtinent, salutem ac sanitatem filiarum postponunt. Nec magis libros de educatione scriptos respiciunt.

Pro cibis malis apti sumendi sunt, qui quum faciles sint ad digerendum, tamen vires addunt. Dauci carotae, scorzonerae, turiones asparagi jusculum ex carne, ova leviter cocta, pulli, carnes assae, lactis moderatus usus: hi cibi sunt aptissimi. Alieni autem sunt cibi farinosi, tubera solani tuberosi, poma, acetaria, cibi acidi pinguesque, praecipue placentae, chocolata, neque thea et coffea adhibendae sunt. Verum recommendandus est usus modicus cerevisiae strobulis humuli lupuli bene temperatae et vini pocula parvula generosioris. Simul frequenter ambulandum est, puellae urbanae rus exeant: vestimenta accommodata sint ad anni tempus aërisque temperiem; domicilium apricum et aridum: negotia levia et facilia, foris e. c. in hortis, perficienda, cum rerum domesticarum agili administratione. Equidem symptomata chloroseos satis longe obtinentis discedere observavimus quum aegrota, matre absente, rei domesticae administrandae praeesset et vitae ordinem sessilem reliquisset.

Denique quod ad somnum pertinet, horis primae noctis capiundus est, in cubili aprico et spatioso, in lecto capillis instructo, teguminibus ex lana factis.

Ad actus physiologicos referri possunt, quae in prophylaxi dicta sunt.

Indicatio altera in cura directa i. e. in sanguificatione melioranda versatur. Ubi quae ad regimen necessaria sunt, disposuisti, usus medicaminum incipit.

Dentur medicamina haec: chininum, squilla et opium, quibus additur Elaeosaccharum menthae piperitae.

Formulam recommendo hanc:

Rep. Chinin. sulphur. (s. muriatici) gr. jj—jjj.
rad. squill. marit. gr. j.
opii puri gr. ¾.
elaeosacch. menth. gr. xjj.
M. f. pulv. Dent. tal. dos. No. X. ad. chart. cerat.
S. Vespere unum.

Cum his medicamentis balnea corporis inferioris tepida conjungi debent, quibus balneis tertio die aegroti utantur; tum in lectum sese recipiant. Vini quoque usus modicus, de quo dixi, utilissimus est ad curam accelerandam.

Quanquam symptomatum varietas saepe facit, ut curam debeas variare. Irritabilitate aucta, condimenta et vina vetanda sunt. Quae si circa regionem epigastricam et organa thoracis aut cerebrum conspicitur, balnea corporis inferioris tepida, clysmata mulcentia, sinapismi sufficiunt. Venaesectionem quamvis fallacem ne instituas. Ambulationes per campum apertum instituantur, nisi Borea et Euro flante. Ubi irritabilius est systema nervorum, herbam digitalem pro tempore licet adhibere.

Chloroseos erethisticae cum tuberculosi conjunctio asam foetidam optime respondere puto, quae pro medicamentis supra expositis sola adhibetur.

Chlorosis torpida nutrimenta postulat magis irritantia: vinum, cerevisiam. Ad corrigendas functiones organorum abdominis, praecipue hepatis et intestinorum, rheum in parva dosi aptissimum est.

Contra fluorem album et flatulentiam da tartarum tartarisatum cum dosi parva tartari stibiati.

Morbus scrophulosus haud raro hanc chloroseos speciem comitatur.

Reconvalescentes magnamque medici diligentiam curamque requirunt: quae in indicatione caussali exposita sunt, accurate observanda. Neque praemature usus medicaminum est omittendus.

VITA.

Natus sum ego Joannes Franciscus Henricus Schmitz, Eslohe, pago Guestphaliae, anno h. saec. XIX, patre Josepho, quem adhuc viventem pio gratoque animo veneror, matre Clara e gente Kissing, quam jam dudum mortuam lugeo; fidem profiteor catholicam. Primum literarum elementis domi a parocho Dmo. Kunoth imbutus, Gymnasium quod floret oppido Attendorii, per tres annos et dimidium, tum Gymnasium Rechlinghusanum, directore Cel. Dr. Stieve t. t. florens, per quattuor annos frequentavi. Maturitatis testimonio ibi munitus auctumno anni MDCCCXL almam literarum universitatem Bonnensem petii ibique rectore magnifico Ill. E. M. Arndt inter cives academicos receptus, nec non apud Ill. Weber, medicorum ordinis t. t. decanum spectatissimum, nomen professus sum. Per annos tres disserentes audivi:

Ill. van Calker de logice et psychologia; Ill. Pluecker de physice; Ill. G. Bischof de chemia experimentali anor-

ganica et de phytochemia zoochemiaque; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Goldfuss de zoologia et zootomia; Ill. Naumann de encyclopaedia et methodologia artis medicae, de pathologia et therapia generali, de morbis acutis chronicisque, de animi morbis, de semiotice; Ill. Mayer et Weber de anatomia et generali et speciali, qui quoque in arte cadavera rite dissecandi duces fuerunt; Ill. Budge de physiologia; Ill. Wutzer de chirurgia generali et speciali, de arte fascias rite applicandi; Ill. Nasse de therapia generali, speciali, animi morbis; Ill. Albers de materia medica et de arte formulas medicas rite conscribendi; Ill. Loebell de historia hujus saeculi; Ill. Kilian de arte obstetricia, morbis uteri operatione indigentibus, de instrumentis obstetriciis.

In exercitationibus practicis mihi duces fuerunt in clinico medico Ill. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer et Ill. Kilian; in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Ill. Kilian.

Anno MDCCCXLIII auctumno tempore ad almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli, ubi rectore magnifico Ill. Lachmann inter cives academicos receptus et decano spectatissimo Ill. Busch in album medicum inscriptus sum.

Lectiones, quibus per annum interfui, hae sunt:

Historia medicinae apud Ill. Hecker; medicina forensis et politia medica apud Ill. Wagner; anatomia pathologica apud Ill. Joa. Mueller. Clinicas exercitationes frequentavi chirurgicas apud Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach; medicas apud Cel. Romberg.

Jam vero in centuria prima legionis Francisci Caesaris duce Exp. Dr. Kops chirurgi militaris munere voluntarius fungor.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ferrum in chlorosi, ut vulgo putant, remedium specificum non est.
2. Syphilidem topicam in stadio eruptionis remediis topicis sanari licet.
3. Medico obstetricio matris vita non sanctior sit quam infantis.
4. Quo major medicamentorum copia contra morbum, eo difficilior medela.
5. Pulsus signum fallax.